

Latin 202

Idibus Aprilibus MMDCCCLXXV A.U.C.

Nathan Owens

Old Dominion University

Spring 2022



1 Announcements

2 *BG.IV.32*

3 *BG.IV.34*

Announcements

Announcements

- Questions? Comments?

BG.IV.32

dum ea geruntur, **legione** ex consuetudine **una** frumentatum **missa**, neque **ulla** ad id tempus belli **suspicione interposita**, cum pars hominum in agris **remaneret**, pars etiam in castra **ventitaret**, ei qui pro portis castrorum in statione erant Caesari nuntiaverunt pulverem maiorem quam consuetudo **ferret** in ea parte videri quam in partem legio iter **fecisset**. Caesar id quod erat suspicatus aliquid novi a barbaris initum consilii, cohortes quae in stationibus erant secum in eam partem proficisci, reliquas armari et confestim sese subsequi iussit. cum paulo longius a castris **processisset**, suos ab hostibus premi atque aegre sustinere et ex omnibus partibus tela coici animadvertit. nam quod **omni** ex reliquis partibus **demesso frumento** pars una erat reliqua, suspicati hostes huc nostros esse venturos, noctu in silvis delituerant; tum dispersos, **depositis armis**, in **metendo** occupatos subito adorti, **paucis interfectis** reliquos perturbaverant, simul equitatu atque essedis circumdederant.

BG.IV.34

quibus rebus **perturbatis nostris** novitate pugnae tempore oportunitissimo Caesar auxilium tulit: namque eius adventu hostes constiterunt, nostri se ex timore receperunt. **quo facto**, ad **lacessendum** et ad **committendum** proelium alienum esse tempus arbitratus suo loco se continuit et, **brevi tempore intermisso**, in castra legiones reduxit. dum haec geruntur, **nostris omnibus occupatis** qui erant in agris reliqui discesserunt.

secutae sunt continuos compluris dies tempestates, quae et nostros in castris **containerent** et hostem a pugna **prohiberent**. interim barbari nuntios in omnis partis dimiserunt paucitatemque nostrorum militum suis praedicaverunt et quanta praedae **faciendae** atque in perpetuum sui **liberandi** facultas **daretur**, si Romanos castris **expulissent**, demonstraverunt. his rebus celeriter **magna multitudine** peditatus equitatusque **coacta** ad castra venerunt.

VALETE!